



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. An, si is, qui iam obtinet beneficium residentiam postulans, electus fuerit à Canonicis, vel aliis Clericis ad aliud beneficium, quod similiter residentiam requirit, posset utrumque simul ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

& tribui deberent. Et hinc putant aliqui, non tantum per nullam consuetudinem induci posse, sed nec per dispensationem Pontificis fieri posse, nisi iuxta & rationabilis causa ad dispensandum adsit, ut unieidemque, qui sustentationem sufficientem (pro qualitate personæ, & circumstantiis plures attendendo) ex uno beneficio habet, alterum etiam concedi possit, cum consuetudo talis sit contra jus naturale, & dispensatio talis, dissipatio potius dicenda sit, quam dispensatio, ut ait S. Bernardus.

Quintò denique inferitur ex his, plura beneficia licetè aliquem obtinere & retinere posse, si ratione residentie necessitatis non sunt incompatibilia, nec sunt uniformia sub eodem texto, nec animum eorum ad congruam, & competentem sustentationem Clerici sufficiat, cum enim ex uno horum trium Capitum beneficia incompatibilia reddantur, ut ex dictis patet, consequenter, si nullum horum Capitum interveniat, compatibilia etiam plura beneficia erunt. Et hinc fit, quòd in nostris partibus, ubi residentia continua per annum, aut personalis, non requiritur, duobus & pluribus etiam Canonicatibus frui quis possit in diversis Ecclesiis, si omnibus satisfacere possit.

## §. II.

An, & quâ ratione per consuetudinem induci possit, ut quis simul plura beneficia obtineat, & retineat in eadem vel diversis Ecclesiis?

Nullâ consuetudine, etiam immemoriali, introduci potest, ut præbendatus Canonicus simul duas dignitates, vel Personatus, vel duo officia, vel duos

simplices Canonicatus, aut unam Dignitatem, & officium simul, in eadem Ecclesia obtineat, absque dispensatione Pontificis c. 1. De consuet. in 6. non tantum, quia ex radice ambitionis consuetudo hæc procederet, prout jam dictum, & ad imminutionem cultus Divini, sed quia corruptela potius iuxta Glossam in c. Literas. De concess. præbend. censenda est; (potest tamen consuetudine introduci, ut in eadem Ecclesia unus idemque Canonicatus præbendatus obtineat, & simul Dignitatem, vel Personatum, vel officium, &c. prout ex sit. c. 1. De consuet. in 6. colligunt Auctores, & constat ex c. Eam te 7. de rescript.) neque valet consuetudo ut simul quis obtineat plura curata, in diversis etiam Ecclesiis, beneficia, nisi per consuetudinem saltem immemoriam, aut privilegium Pontificis, nulla esset in una earum Ecclesiarum personalis residentie obligatio, sed per Vicarium perpetuum, illi deserviri posset; neque enim in hoc casu ex incompatibili residentie obligatione, si per Vicarium possit sufficienter Ecclesie illi provideri, contra consuetudinem talem probati posset aliquid.

## §. III.

An, si is, qui jam obtinet beneficium residentiam postulans, electus fuerit à Canonicis, vel aliis Clericis ad aliud beneficium, quod similiter residentiam requirit, posset utrumque simul retinere;

Respondetur negativè, ut constat ex c. Cum non ignores 15. h. e. & ex allatis jam rationibus, ita ut, si illi, qui ad aliam Ecclesiam elegerant talem,

ignorarunt, quodd beneficium jam aliud habeat, possint resilire ab electione, nisi electus prius beneficium dimittere, vel resignare, vel in eo non residendi dispensationem impetrare velit, cum non possit in duabus Ecclesiis talibus intitulus esse.

## §. IV.

*De incompatibilitate beneficiorum, & vacatione unius per assumptionem alterius.*

**E**X dictis jam patet, incompatibilia illa beneficia esse, quae simul retineri non possunt, ita ut unum, vel ipso jure excludat alterum, & obtento secundo vacet primum, quae primi generis incompatibilia communiter dicuntur, vel saltem per Superiorem privati quis possit priore, obtento altero, quae secundi generis, & secundum quid incompatibilia dicuntur; quia tamen ad varia iura, quae variis modis circa hanc incompatibilitatem plurium beneficiorum, & vacationem alterius obtento altero loquuntur, varia etiam tempora distinguenda sunt, semper magis & magis hanc incompatibilitatem, & vacationem restringentia, satis fasè verò res ista ab Auctore Method. hoc §. examinatur, idèd videre eum poteris *l. c.* si ad scientiam tuam necessaria tibi sit: potissima hodie est *capituli De multa 28. h. t.* observatio, ubi quidem de curatis beneficiis (curam animarum in foro interno actu habentibus) dignitatibus, & aliis quibusdam, vacatio prioris ipso jure, post obtentum secundum, statuitur, Trident. tamen *Sess. 7. c. 4. De refor. ad alia* quaecunq; beneficia incompatibilia hanc

*c. De multa.* decisionem, & vacationem extendit; observetur proinde Tridentinum, & tanta beneficiorum conflictus, Ecclesiarum destructio, animarum negligentia, &c. non erit, vel certe in quantum deducatur *Extravag. Ioan. 22. Etenim bilis, h. t.* ubi ipso jure etiam privatur secundo beneficio, qui cum primo illud retinere contendit.

## §. V.

*Quanam requirantur, ut primum beneficium vacet per ademptionem secundi incompatibilis?*

**P**rimò requiritur, ut secundum beneficium non tantum collatum sit & acceptatum, sed etiam pacificam possessionem sit adeptus Beneficiarius, vel per eum steterit, quominus non adipisceretur; ne in casu scilicet litigioso, vel nondum possessi, utroque sine sua singulari culpa, careat debeat. Censetur autem pacificam (secundum) acquisiti possessionem habere, si non turbatus sit intra annum, ut voluit aliqui, vel alii volunt, intra duos menses, à tempore acquisitionis possessionis numeratae in ea turbatus, aut lis illi de possessione mota.

Secundò requiritur, ut non tantum tituli, & exercitii, aut officii pacificam possessionem habeat, sed etiam beneficiorum, & fructuum illius beneficii, vel majoris saltem portionis fructuum, ut deciditur in *e. Si tibi 26. h. t. in 6.* Neque enim talis plenè, & perfectè censetur beneficium hoc possidere, cujus nullus sit fructus accipit, & consequenter imperfecta possessio non inducit eandem vacationem prioris beneficii, ut